æque, ac pietatis hortatu se contegunt. Videsne has irrideri? Nonne illæ faciei suæ labem celantes ex modestia sua honorem percipere norunt? Cur autem nequeas formam, venustatemque tuam contegens ex vera medestia ex sanctæ religionis observantia, & ex mundi contemptu verum honorem capessere? *Idem.*

De ecclesiasticis, qui superbis utuntur vestibus.

Præsertim vero ea indignatione succensus, quam jure domus Dei zelus excitare potest, loquor, quibus autem? Profanatoribus hisce nominis, sanctuarii, & hæreditatis Dei, qui altarium ministerio consecrati, ex altaris reditibus viventes, & ut verbo me expediam, bonis atque proventibus ecclesiæ perfruentes hæc in mollitiei, fastus, superbiæque materiam convertunt. Nunquid non auditis, hac in re S. Bernardus exclamat, templorum parietes illa S. Pauli verba recinentes: *Non in veste pretiosa.* Apage hinc pretiosa indumenta. At enim mulieres alloquebatur Apostolus: cur non igitur Sacerdotes, non eos, qui ecclesiasticis beneficiis locupletati sunt; non eos, qui omnibus mundi pompis abrenunciarunt, ut in sola JESU CHRISTI hæreditate conquiescerent? Agape hinc magnificas vestes, dicebat Apostolus, ubinam ergo vestes delicatæ? ubinam mollis, & ignava mundities? ubi effeminatus corporis cultus? *Idem.*

Vestes inobedientiæ, & rebellionis nostræ signa.

Vestium necessitas nota est rebellionis, atque inobedientiæ hominis: quantumcumque hic nihil inaqusum, intentatumque relinquat, ut pœnam hanc in ornatum convertat, sateri tenetur, se corpus suum ad dolorem, pudoremque avertendum contegere . . . Si in eo permansisset officio, quod debebat Deo, corpus illius nequaquam spiritui ipsius rebellasset, & nisi particularem hanc rebellionem altera generalis subsecuta fuisset, nulla res coegisset illum, ut quæreret, undenam se ipsum contra temporum inclementiam tutaretur. Videt ergo in vestibus suis scelus suum; hæc manifesta sunt inobedientiæ ejus indicia: & si ratione uti vellet, quantum corpus suum tegit, tantum illud ipsum puniret. Attamen velle videmur divinæ obluctari justitiæ, judicia illius in ludibrium traducere ex ejus suppliciis vanitatis argumenta desumere, atque in gloriam nostram id, quod nobis probro esse deberet, convertere . . . . . Adam nunquam magis erubuit, quam cum vestibus se se contegere debuit. Coria, quæ gerebat, pœnitentis erant operimentum, & antequam vanitas artem illa exornandi excogitasset, hæc ex oculis lacrymas, & ex pectore suspiria eliciebant. Nunquam induebatur, quominus innocentiæ desiderio conficeretur; cumque frigore cogebatur consuetis alia addere indumenta, cogitabat temporum perturbationem esse sui peccati supplicium. *Ex P. Stenaule in homine criminoso.*

Intentiones sese exornantium ut plurimum nefariæ sunt.

Qui se ornant magis, quam induunt, & qui necessitati voluptatem adjiciunt, duplici tantum plerumque aguntur causa, quarum utraque injusta est. Prima est sibimet indulgendi, ac faciendi satis amori proprio corporum suorum cura, miseriam quidem suam dissimulando, ambitionem vero palpando. Altera causa est placendi illis, a quibus videntur, atque animas in laqueos suos pertrahendi. Altera hæc vulgatior est, atque periculosior; vulgatior quidem, vanitas quippe theatrum poscit, & amor proprius non secus, ac ambitio habere vult spectatores. Et profecto mulieres, ubi solæ fuerint, nunquam se exornant: solitudo luxus est inimica; atque ornatus abjicit, quæ prodire detrectat. Tædium, ac labor, quæ ferenda sunt, ut se mulier calamistris comat, atque ornet, efficit, ut hac voluptate non afficiatur; suaque negligit ornamenta, cum nemo sit, qui illa admiretur. *Id.*

Mundana ornamenta nunquam probata fuere.

Libenter doceri vellem, ubinam consuetudo ista probetur. In sacra Scriptura haud profecto: etenim S. Petrus Apostolus explicite christianis mulieribus aurum, & crispatos calamistro crines interdicit. In SS. Patribus, ne ita quidem; nunquam enim acrius invehuntur, quam cum contra luxum, & vestium pompam declamant. Indefinenter vanitatem hanc insectantur, & docent nos legibus charitatis teneri, ut hæc superflua erogemus egenis indumenta, miseris opem, & ecclesiæ præsidium præstantes. Immo volunt vestium simplicitatem signum esse pietatis, atque abrenunciationis mundi. His autem nil aliud respondent, nisi quod non decet ab aliorum cultu discrepare, & non sine quadam singularitatis nota differre. Quid hoc? Nunquid torrentem sequi oportet? Quia malum commune est, non ideo laborandum est, ut illinc evadamus? non audes emergere e turba eorum, qui in certum interitum abeunt? Immo e contra reor opus esse ab aliis discrepare, si tibi satis animi, vitiumque est, ut id facias. Scire vellem, utrum in vestibus, non secus ac in aliis quibuscumque rebus modestia bona sit, & laude digna? Si bona, illius exempla præbere, potestne malum esse? E contra nonne gloriosum est, primum in viam virtutis incedere, & hanc aliis aperire? *Auctor Anonymus.*

Sæculi hujus luxus ad excessum pervasit.

Equidem scio semper vestes pro conditionum discrimine varias fuisse. Primum tamen animadvertendum est hoc in sæculo neminem esse, qui magnificentiam ultra suam provebat conditionem. Ad hæc, olim conditiones non ita accurate, ut hodierna die, distinguebantur: satis magnum, ac manifestum discrimen interesse oportebat, ut liceret alios ab aliis vestium nitore distingui. Non satis erat esse locupletem, & eo genere natum, quod parum supra cæteros enitescereet. Hodierna die si cuilibet permittitur indui, ac sumptus facere secundum conditionem suam, superbia, & vanitas, quæ distinguunt conditiones, compellent ad extrema quæque mortales. *Idem.*

Frustra dicitis; intentiones vestras culpa vacare; hoc mihi persuadere nullo modo possum. Sed licet vacarent, quomodonam ea, quæ earum effectus sunt, vacare possent? Nullum enim virtus est, quod citius se communicet, quam hæc damnanda mundanæ industriæ adinventa, ac totum regnum intra aliquot menses hac ornatuum, ac periculorum novitatum corruptione inficitur, ubi nullus servatur modus, & corda, ut S. Jacobus c. 5. inquit; sexcentis cogitationibus; impurisque cupiditatibus aluntur: *In luxuriis enutristi corda.* Quot animas hac re perdidistis? Et sane nequaquam sensu caremus, non lapidei, neque ænei sumus. Malum de uno in alterum sese effundit, perennat, ac brevi immedicabile fit, quia migrat in consuetudinem. *P. Giroust in Adventu suo, Tomo I. sermone de consuetudine.*

Mundanæ mulieres semper sunt in statu peccati, denecjimmodestis ornatibus suis sunt scandali causa.

Esto quidem in cultu, ornatuque suo nullam habeant pravam intentionem mulieres, atque id unum inquirant, quomodo sibimet satisfaciant, atque non distinguantur ab aliis ejusdem qualitatis, & sexus mulieribus adfectata negligentia, vel ritu peculiari: dico tamen, si hujusmodi ornatus intuentibus peccandi præbent occasionem, ipsas etiam peccare, atque teneri ad scandali hujus confessionem, ac debere imposterum hanc omittere curam sese comendi, & ornandi. Mutent, oportet, ornatus, cultusque suos, atque sua indumenta castigent; alioquin semper erunt in mortali peccato, ac nullam unquam, nisi fallacem, agent pœnitentiam. Illud etiam addo, quamvis in omnibus hisce ornatibus nihil esset, quod in ipso malum, pravumque haberetur, ad id ut eos relinquere teneantur, satis esse, si illis tanquam illecebris peccati, ac innocentiæ laqueis abutantur. Neque prodest afferere, vos non esse deterioris conditionis, quam cæteras; vobis esse divitias, atque in hoc jure uti vestro. Etenim ex conscientia, & obedientia, quam Deo, nec non charitate, quam proximo debetis, tenemini ea omnia relinquere, qua huic scandalum possunt afferre: hi ornatus, recentesque vestius ritus, hæ nuditates, quæ per hæc velamina adfectata, & improba videntur, illi scandalum affarunt, eumque in scelus impellere possunt. Tenemini ergo huic cultui abrenunciare. *P. Gigou in libro, cui titulus; Usus Sacramenti Pœnitentiæ.*

Scandalum quod mulieres immodestis ornatibus suis gignunt.

Non conspicis impudice, sed conspiceris. Verba hæc sunt S. Cypriani, ac Tertulliani. Fortasse lascivos oculos non circumfers, sed in te ab aliis feruntur. Nulla inhonestæ voluptatis labe pollueris, sed te ipsam ea polluit voluptas, quam aliis præbes. Quis non detestetur, quod tot aliis funestum est? Quis uti velit eo, quod mortem intulit illis, qui eodem usi sunt? Si quis post epotum pharmacum, aut cibum aliquem deglutitum, repente e vivis decederet, profecto nequaquam dubitares, utrum pharmacum, vel cibus veneno fuerint imbuti, atque diligentissime caveres, ne quid tale labiis tuis admoveretur. Hæc autem ornamenta, hi calamistri, & artes, quibus speciei tuæ decorem addere conaris, & quibus aliorum oculis te commendare putas, quamplurimos e mundo perdiderunt, hodieque perdunt; tu vero non pereas per ea, per quæ tot alii periere? Falleris, atque tibimet ipsi blandiris freta virtute, ac sapientia tua, & rara nihil in animo tuo, nisi honestissimos sensus foveri. *Redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus*, Tertullianus inquit. Ornatus iste, adfectatus hic cultus, qui cum mundanis mulieribus tibi communis est, falsum id probant, quod inquis, atque te condemnant. Non satis est, ut in honestarum fœminarum albo recenseris, talem intus esse, nisi talis etiam extrinsecus videaris: ita ut qui te vident non dubitent, quænam vere sis. Honestas, & virtus sese extrinsecus promere debent modesto corporis habitu, & cultu. Virtutes quoque suos habent ornatus, ut vitia suos. *Idem.*

Unica placendi voluptas suadere potest mulieribus ornamenta,

Si jure Patres afferunt, in christianarum mulierum albo eas recenseri non posse, quæ ita se comunt, ut placere possint, heu! quam modicus hodierna die est mulierum

rum christianarum numerus? Dicent illæ quidem, se id minime quærere, ut videlicet placeant: esto: verum illas nequaquam puderet, vel pigeret, si ad id se non satis belle comptas, ornatasque arbitrarentur: alioquin cur tandiu speculum consulerent? Cur tot artes inquirerent ad oris labes tegendas, utque eæ videantur, quæ minime sunt? Mirum! Tertullianus ait, prohibet Deus ore, ac verbo mentiri, quia injustum est proximum fallere; hæ vero arbitrantur licere sibi mentiri, & fallere proximum omnibus corporis partibus, oculis, capillis, oris colore, corporis habitu, incessu, fidem adstruere cupientes se id esse, quod non sunt, & quod sunt, non esse. *Idem.*

Juxta Apostoli doctrinam qui, & quæ sacro sunt baptismate abluti, indui debent Jesum Christum. Cum hoc sacramentum reciperent, sæculi pompis, & vanitatibus abrenunciarunt. At nonne est se se illis implicare rebus quibus abrenunciatum est, dum magnificæ vestes, superbaque vanitatis ornamenta perquiruntur? Nonne hæc publica professio est, negari ea, quæ palam promilla fuere, dum ea, quæ objecta fuerant, resumuntur? Atque si anima vere christiana circumferre debet Jesu Christi mortificationem in omnibus corporis sui partibus, omnia hæc vanitatis instrumenta cum evangelii sensibus conciliare. *Idem.*

Circumstantiæ, quæ nocentem efficiunt luxum vestiumque immodestiam.

Fateor equidem, absolute loquendo, nihil mali esse, si te ipsam pretiosis vestibus ornes, at nihilne mali est immodici pretii ornamenta deferre; æs alienum conflare, ut niteas; atque mercatoribus pactam differre pecuniam, ut luxum tuum nutrias? Nihilne mali est, o matronæ, singulis vitæ diebus plurimum impendere temporis calamistris crispantes comam, ac vosmet muliebri mundo exornantes? Nihilne mali est vosmet comere, & indui coram famulis ea, qua nostis, immodestia, & quam vobis exprobrari pudor ipse vetat? Nihilne mali est, viros opem vobis ferre cum induimini, eamque vobis operam præstare? quam ipsæ vobis præstare deberetis? *P. le Valois epistola undecima de recessu.*

Ecclesiasticorum vestes statum ipsorum parum decentes.

Quid diceres, immo quid quotidie non dicis de ecclesiasticis hisce, qui vix a profanissimo quovis sese distinguunt, qui adeo mundanam affectant mundities, vestes adeo vanas, adeo ridicula ornamenta, ac mores, qui adeo parum decent statum ipsorum? At inquies, nunquid displicet tibi eos mundos esse, honestos, urbanos? Haud equidem, neque enim æquum est in illis damnare id, quod virtus esse potest. Se se igitur ornent, immo etiam concinne; videant honestos homines, & cum illis honeste versentur; sed se ipsos ornent, uti ecclesiasticos decet? munditia eorum professioni illorum fit conformis, & reverentiam eorum characteri conciliet apud eos omnes, quicumque testes fuerint actionum ipsorum. *P. de la Colombiere serm.* 48.

In scena, atque theatris imprudentiores vestium ritus videri, ac nitescere incipiunt, & mulieres, quæ frugi haberi cupiunt, religioni sibi minime vertunt eos ornatus imitari, qui in spectaculis prodiere. Inde profecta est perniciosa illa traditio, quæ quodam successionis veluti jure a matribus ætate provectioribus ad filias migrat; quæ res efficit, ne matres, quæ habitum contraxerunt, nequaquam in filiabus suis malum putent magnificas hasce vestes, quæ corpus aperiunt potius, quam tegant; & quidquid ipsæ gerere consueverunt. *Auctor. Anonymus.*

Sententiæ quorumdam Sanctorum Patrum de vestium luxu.

Vestium magnificentia, & ornatus, nec non cultus omnis, qui oris speciem commendat, solas decet meretrices. Nulli major est ornandi sui corporis cura, quam quibus honoris sui tuendi cura minor est. Hac de causa Deus in divinis Scripturis urbem libidini mancipatam exhibet sub imagine meretricis locupletissime exornatæ, ac brevi cum omnibus ornatibus suis perituræ. Hæc S. Cypriani in lib. de discipl. & hab. Virg. sententia est cui S. Basilius Regul. 72. addit, mulieribus nequaquam studendum esse, quo pacto muliebri mundo suam oris pulchritudinem extollant, sed potius omnes curas suas bonis impendere operibus, in quibus sibi persuadere debent totum mulierum christianarum ornamentum consistere. Sed S. Chrysostomus non minus virorum, quam mulierum luxum perstringit. Luxus, ait ille, offendit simul mollitiem humani cordis, spiritus crudelitatem, & animæ vanitatem. Et profecto qui his immoratur ineptiis, aliquidne utile, seriumque cogitare potest? Quandonam geret curam animæ suæ, vel potius quandonam animam sibi esse cogitabit. *Idem.*

Tertulliani hac de re sententia.

Tertullianus ad mulieres loquens de vestium magnificentia his utitur verbis: Si tanta in terris moraretur fides, quanta merces ejus exspectatur in cœlis, nulla omnino vestrum, sorores dilectissimæ, ex quo Deum vivum cognovisset, & de sua, id est fœminæ conditione didicisset, Lætiorem habitum, ne dicam gloriosiorem, appetiisse, ut non magis in sordibus ageret, & squalorem potius adfectaret ipsam se circumterens Evam lugentem, & pœnitentem, quo plenius id, quod de Eva trahit (ignominiam dico primi delicti, & invidiam perditionis humanæ) omni satisfactionis habitu expiaret . . . Propter tuum meritum, id est mortem etiam filius Dei mori habuit, & adornari tibi in mente est super pelliceas tuas tunicas? *Ex Tertulliano de habitu muliebri.*

Gravius peccatè est magnificis indutas vestibus mulieres in templum accedere.

Semper malum est aureis uti ornamentis; sed longe gravius malum est magnificentiam hanc in templum usque inferre, atque cum hoc apparatu transire per tot pauperes, qui ad templi ostium siti sunt. Si tibi animus esset excitandi omnes in te, non meliorem invenire posses rationem, quam bona, quibus a Deo aucta fuisti, in luxum pauperibus adeo crudelem impendere. Cogita quomodo magnificentia tua hanc irritet turbam miserorum, qui te prætereuntem vident, quos fames devorat, & quorum nuditas contra superba vestimenta tua ultionem deposcit. *S. Chrysostomus in Matthæum.*

Vestes nobis datæ sunt ad nuditatis nostræ turpitudinem tegendam, non autem ad corpora ornanda, atque ut par illas objiciamur rei, quæ ipla nuditate turpior est. Ita Deum, qui pretiosis vestibus Adam, & Evam contegere potuisset, pelliceis tantum illos operuisse, ut ex rudibus hisce, incomptisque indumentis intelligeremus, vitam hanc a primis usque mundi temporibus nequaquam tempus fuisse deliciarum, & voluptatum, sed passionum, & lacrymarum. Quod si necessitas, qua tenetur homo sese indumentis cooperire, ignominiæ nota est ex illius peccato profecta, cur vis per vanitatem tuam inde occasionem præbere Deo, ut te exprobret, atque corripiat? Cura, qua vestimentis nosmet contegere studemus, non ne sufficiens est nostræ infelicitatis, lapsusque testimonium? Cur scelus tuum adhuc gravius efficis? cur tuas multiplicans necessitates scelera quoque multiplicas? Nonne satius esset lacrymis, atque gemitibus peccatum tuum expiare? *Ex S. Chrysostomo de providentia.*

Modestia magis viros, ac mulieres ornat, quam vestium magnificentia.

Modestia, & gravitas mulieris reverentiam injicere, & curiosorum obtutuum impudentiam, nec non juvenum licentiam debet coercere. Quamobrem ornatus, cincinni, crispatæ calamistro comæ, & magnifica indumenta illi interdicta esse debent, ne inanium horum ornamentorum nitore, & commendatione in se mortalium convertat oculos, eosque ad peccandum compellat. Verum cum Biblia vetant, ne se se ornent mulieres, nonne palam offendunt hoc multo magis dedecere virum, qui non nisi necessitatis ergo se ipsum debet induere? Pulchritudinem, ac pompam indumentorum consectari imbecillitatis, ac molitiei nota est; anima enim ad res magnas nata, si semel concipere potest, quinam sit verus ejusdem ornatus, nonnisi cum contemptu respiciet inanem fulgorem hunc, qui in vestibus dumtaxat renidet, & desideria sua ad sublimiorem splendorem attollens innocentiæ, & puritatis tuendæ curam considerabit tanquam reverentia digniorem majorique habendam in pretio, quam quidquid, ad inania corporis spectat ornamenta. Corporis habitus, modestus, honestusque fidelis est imago, & quoddam veluti certum signum status interioris animæ. *Idem partim in sermone de Zachæo, partim in Sermone Paschatis.*

De veris, falsisque comis.

Natura, inquit Apostolus, nonne docet, turpe esse homini nutrire comam, atque eam in capitis ornamentum convertere: mulieri vero decorum esse alere crines sibi a Deo pro capitis velamine traditos? Hic naturæ ordo est, quem hominis cupiditas prævertit. Mulieres nunc sibi comas resecant, homines vero cæsariem comunt, ac illi contra naturæ legem curarum suarum partem impendunt. Natura, quæ ex Dei manibus egreditur, mundanis non placet mulieribus, quæ nunquam voti sui compotes factæ se ipsas variis rationibus torquent, ut illum inveniant situm, qui formæ suæ nitorem addat, & propter quem aliæ omnino ab illis, quæ sunt, videantur. *Ex tractatu contra luxum calanticarum.*

Luxus perniciosius est moribus & vitæ civili.

Commercium quibuslibet temporibus viguit sine luxus auxilio; merces majoris momenti, quæ importantur, & exportantur, nequaquam illæ sunt, quæ a luxu adhibentur: liquet, hunc pretiosissima etiam metalla, aurum, argentumque destruere, & familias ad paupertatem redigere. Luxum tolle, plurimum conferes, ut virtus resloreſcat, ut exulent vitia, ut terra vitæ adeo necessaria excolatur. Galli olim bellicis laboribus innutriti, ac naturale mensæ, indumentorumque simplicitati assuetiſ misere in luxum generarunt. Hæ tanti pretii fictitiæ comæ, hæc aurea, argenteaque vestimenta, hæ tunicæ acu phrygio depictæ, denticulata hæc opera ex exoticis advecta regionibus id satis superque probant... Desiderium se se ornandi, atque inter alios vestium nitore, ac sumptu emicandi pestis est, quæ animam infi-

inficit, & cor. Cupiditas hæc mollitiem, ignaviam, otium, libidinem, morumque parit corruptionem. *Ex alio eructatu de virorum, mulierumque luxu.*

Immodicus mulierum luxus.

Vestium luxus puerilis est vanitas, sed vanitas in more posita. Frustra illum christiana damnat morum disciplina; mulieres hodierna die in eo maxime triumphant. Nulla palam prodire audet, nisi niteat. Muliebri superbiæ, ac luxui vix negotia, & agri supplere possunt. Ornamenta, quæ inmensi pretii non sunt, minime sapiunt. Calantica sæpe uberiorem totius anni reditum absorbet. Aræ, ac templa, ut Scripturæ verbis utar, ita exornata non sunt, ut mundanæ istæ mulieres. Fastus adeo irreligiosus, & fatua gloria Dominum irritat, & serius ocyus illius iracundiam accendit. *P. Croiset tomo 2. spiritualium considerationum.*

Deus hunc odit luxum, eumque severe puniet.

Discite, mundanæ mulieres, ab Isaia Propheta, quantopere Deus superbum hunc detestetur luxum, & qua severitate aliquando cum puniet. *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion.* Isai. 3. Excutiet pulverem hunc, & hos crines tanta arte, & cura dispositos. Pretiosi torques, margaritæ, armillæ, inania artificialis formæ ornamenta auferemini; *Et torques, & monilia, & armillas auferet Dominus*; neque hæ plura veluti habentes tabulata calanticæ vobis relinquentur: *Et mitras*; neque hæ intextæ crinibus aureæ vittæ: *& discriminalia*: neque magnifica, & pretiosa cujuslibet coloris, & pro qualibet anni tempestate indumenta; *& muratoria, & therisbria*; neque hæc superba sandalia, & si qua alia sunt luxum & vanitatem redolentia. Annuli, inaures, adamantina discernicula, lapilli, unguentariæ thecæ, specula: *Et annulos, & acus, & gemmas, & crispoteria, & specula.* Mundanum alitis spiritum, fomites estis superbiæ, ac vanæ gloriæ; aliquando vero vos illarum, quæ adeo inani fulgore lætantur, insaniem ostendetis, cumque fueritis earum vanitatis, atque oblectationis causa, eritis argumentum confusionis, ac fortasse etiam desperationis earum. Mundanæ mulieres ne aliam fortem expectetis. *Idem.*

Modestia, quæ ædificat, & cum insigni virtute conjuncta est, magnum est Christianæ mulieris ornamentum. Mulier virtute prædita, Sapiens ait, non eget fallaci mundi hujus nitore, ut sibi ex æstimatione conciliet. Magnificus ornatus nullum meritum confert, nimius locupletissimæ vestis fulgor sæpe injuriam facit illi, quæ eadem induitur. Cum ex nobis reverentia digni simus, adscititiis meritis non indigemus. Quam deplorandæ est, & quam parum deploratur illa, quæ victima est vanitatis! *Idem.*

Tyrannica vestium, & ornatuum consuetudo.

Nihil virginibus, mulieribusque difficilius est, quam verecundam in indumentis præ se ferre modestiam. Tyrannica lex consuetudinis eas rapit, atque veluti invitas trahit; & fallax, quæ illis insedit, sententia, licere sibi id agere, quod aliæ faciunt, efficit, ut nulla religione percitæ in alienos abeant mores, propter quos reddenda ipsis ratio est scelerum omnium, in quæ alios impellunt; vel etiam eorum, ex S. Chrysostomi sententia, in quæ alios impellere possunt. Exiguus earum numerus, quæ in ipso adolescentiæ flore pravæ hujus consuetudinis tyrannidem evitant, vim hujus tentationis ostendit. *Essais de morale tomo 10.*

In ornatibus non alius est finis, quam velle placere.

Quisnam finis est, quæ causa horum omnium ornatuum, totiusque mundi hujus muliebris? Num ut magis humilis, verecunda, modesta fiat, mundana hæc mulier, vel tres horas se se calamistris comendo, ornandoque traducit, ac impendit omnes artis illecebras, quæ ad placendum sunt magis appositæ? Verum nil mali cogitamus, inquiunt; at christianum estne velle placere? & licet hac vanitate, & his curis, tantum vellent mundi spiritum fovere, nunquid res esset omnis discriminis expers? *Si adhuc hominibus placerem*, inquit Apostolus, *Christi servus non essem*; ac Gal. 1. semper displicet Deo, qui mundo placere studet; & rationes tantum discrepant, quantum contraria sunt objecta. Ne nosmetipsos decipiamus: nemo placere vult, nisi ut ametur. *P. Croiset tomo 2. considerationum.*

Mulieres inanibus ornamentis sibi gloriæ vertunt, quod illis probro esse deberet.

Prima mulier in cordis sui cogitationibus se se attollere cupiens cecidit in opprobrium, & confusionem, & aliæ videntur probrum hoc reparasse vestium nitorem, mutuatamque pulchritudinem consectantes; ut in se hominum ora, vultusque converterent, ut eorum admirationem, existimationem, amoremque sibi conciliarent, atque tanquam numina quædam fierent Deo furripientes honorem, & cultum; qui uni ipsi debetur. Neque vident hinc quidem eam sibi Dei promereri vindictam, qua in rebellem Angelum animadvertit; inde vero decidere in opprobrium, & confusionem, quæ gravissimum ipsis ruborem suffundet in judicio Dei coram Angelis, & sanctis omnibus; cum, sed nimis sero, fatebuntur, quod sexum suum vestium pompa commendare studentes sese dæmonis ornabant insignibus, uti loquitur S. Augustinus, suam exuentes innocentiam; & quod cum capite gestabant inania hæc ornamenta, quæ sunt arma principis tenebrarum, hic spiritus nequitiæ illudebat ipsis, promittens eas totidem veluti exigua numina futura; tunc etiam cum illas ideo superbiæ suæ notis instruit, ut turpiter subjiciat illis, quibus inania hæc perplacent ornamenta. Nonne igitur insignis dementia est id tanquam sæculi gloriam ducere, quod ejusdem dedecus est, & opprobrium? *Auctor Anonymus.*

S. Hieronymi monitum.

Cave, ita scribebat ad nobilem matronam de filiæ educatione S. Hieronymus, cave, ne aures ejus perfores, ne cerussa, & purpurisso consecrata Christo ora depingas, nec collum auro, & margaritis premas, nec caput gemmis onores, nec capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris. Habet alias margaritas, quibus postea venditis emptura est pretiosissimum margaritum.... Discat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fusum, stamina pollice ducere. Spernat bombycum telas, Serum vellera, & aurum in fila lentescens. Talia vestimenta paret, quibus pollatur frigus, non quibus vestita corpora nudentur. *S. Hieronymus ad Lætam.*

Christianæ matres hac in re exemplo præire debent filiis suis.

Si matri persuasum est de necessariis sibi erga filios officiis, hos exemplo, quam verbo potentius erudiet, atque tanquam pestem, quæ totam perdere possit familiam, omnes sexus sui ornatuum ritus, ac vanitates cane pejus, & angue evitabit; atque omnem navabit operam, ut suis sexus utriusque filii earum horrorem injiciat; neque enim in maribus noxia minus vanitas est, quam in fœminis; cum utrique modestiam, & christianam præseferre teneantur humilitatem. Execrabitur earum matrum consuetudinem, quæ sæculi insaniarum, atque vanitatum pertæsæ illas abjiciunt, ut iisdem suos ornent filios, & non ausæ post recentes sæculi ritus abire, quos mundus ipse adolescentibus tantum permittit, eosdem tamen in filiarum suarum persona consectantur; cumque sibi non sint ultra tempestiva solaria, & voluptates, innocentes has animas plerumque voluptatis victimas faciunt.... Metuunt adeo, ut dæmoni vanitatis, atque Deo sæculi e manibus hæ dilabantur animulæ, ut eas illius ornent insignibus, antequam illæ per ætatem, quid hoc rei sit, dignoscere valeat. Se ipsas hoc pacto concinnatas conspexere, ex quo se met conspicere potuerunt, atque a parentibus suis didicere, se hæc ideo gestasse, ut ab omnibus conspicerentur. Mirum igitur esse non debet, si post hæc tanta flagrant cupiditate prodeundi, & si proinde in omnes vanitatis & voluptatis laqueos proruunt. *Auctor Recens & Anonymus.*

Vestis luxus nonnisi ex vanitate atque ridicula, ac noxia proficisci potest.

Vanitas vestium luxum parit; inutile est hoc dicere, gestiunt homines immodicis nitescere sumptibus, præsertim vero in pretiosissimas vestes effusis. Quorsum istud? quia vani sunt; quia similibus præstare contendunt; res ipsa per se loquitur. Insana ista profusio oriri non potest nisi ex noxia cupiditate inter cæteros emicandi. Quomodo autem nostri temporis fastus conciliari potest cum humilitate, quam Jesus Christus nos docuit? Verum dicere possumus, hanc ipsam humilitatem quodammodo eadem hac vanitate vindicari. Quomodo istud? Quia vanitas ista celare non potest id, quod in se habet ridiculum, indecorum, & Christiano prorsus indignum. Etenim nonne irrisionis sapientibus viris, & iis, qui vel leviter imbuti sunt religionis rudimentis, objectum est homo ob id intumescens, propter quod sese humiliare deberet? Sese induendi necessitas tristis est effectus peccati, atque damnationis. Tu, qui adeo delicatus es, atque ob tua vestimenta superbus, non cogitas proculdubio, S. Chrysost. hom. 18. in Gen. inquit, te superbiendi ansam arripere ex tuæ contra Dominum rebellionis supplicio? *Non cogitas, quod pro magno supplicio propter transgressionem tegmen hoc excogitatum est?* latroni, S. Bernardus inquit, similis, qui innustam in latrocinii pœnam infamiæ notam ostentaret, atque inde gloriam sibi vindicaret. Nisi fuisses peccator, ex deliciarum paradiso ejectus, mortique, ærumnisque subjectus, non secus ac primi parentes tui, ne ideam quidem haberes fastus illius, cui vela dedisti. Digna profecto luxus tui ornamenta sunt, turpes ignominiæ tuæ characteres! *P. la Pesse tomo 2. sermonum, sermone de Luxu.*

Hic ipse vestimentorum luxus nota est levitatis, & inconstantiæ.

Decet profecto sub hoc pretioso cultu contemptibilem te ostendere levitatem, tanto labore recentibus indumentorum ritibus studentem, in adeo varias libidines, ac fastidia erumpentem, facile suæ electionis pertæsam, in singulas horas colores, texturam, figuras, prout inconstanti placuerit imaginationi, mutantem; semperque inutili sollicitudine, invida solertia, & inexplebili

bili cupiditate agitatam. Decet profecto te ad miseras confugere adfectationes, quæ te ipsum torqueant, quæ te incessu, totoque habitu corporis alium repræsentent. Decet quidem te ab ipsa superbia mutuari id, quod fortasse deest virtuti tuæ ad joci, & irrisionis acumen sustinendum, cum contemptu æquales tuos despicere, & ab illis reverentiam, indebitumque honorem exposcere. *Idem.*

Conditiones non distinguuntur amplius ex vestimentis, & ad corpus ornandum animæ cura negligitur.

Quam indignum est, quod vix, & ne vix quidem ex indumentorum diversitatem conditionum fieri possit discrimen! & sæpe dignitas, atque nobilitas simplici, planaque munditia, a cæterorum turba debeat distingui. Quid autem ipsa etiam egestas vanitatem compescere nequit, ac frustra paupertas evangelio suppetias adfert moderationem suasura. Condonemus generis nobilitati, & opulentiæ fastum, quem aliquando illi Deus condonare potest, at viderene possumus citra indignationem aureis tectam indumentis superbam pauperiem, in quam Deus sine ulla misericordia animadvertet? Neque dixeris: hæc est consuetudo, hic mos, ita assolet; dic potius, hæc sæculi superbia est, hæc insania. Hæc vanitatis intemperantia majorem nobis horrorem ciere debet, quam quidquid in ea ridiculum, atque indecorum est. Id quærere non debemus, quomodo externæ speciei nitore fucum populo faciamus eam, qua fruimur, existimationem sarctam tectam servaturi, ac dignitatem quæsitam tuituri; sed quomodo magis communia christianæ religionis obeamus officia, nimia hac, immodicaque sese ornandi cura posthabita; neque enim fieri potest, S. Chrysostomus hom. 37. in Genes. inquit, aliquem animæ curam impendi ab eo, qui totus corporis suæ formæ, cultui vacat: *Impossibile est aliquam agere curam animæ, & tanti facere corporis pulchritudinem.* Quomodo enim cogitare de Deo potest, qui tot curis obrutus est, ut placeat mundo? Tempore opus est, diligentia, vigilantia, studio, & arte ad reparandam tantam hanc, ac multi jugam ordinatuum, vestiumque supellectilem, quæ necessaria est, ut aliquis recentes indumentorum ritus sequatur. Nihil est, quantumvis minutissimum, cui mulier cultus sui, muliebrisque mundi amatrix indesinenter oculos, manusque non debeat impendere. Quam in die horam inveniet, qua sibi per vanitatem saluti suæ consulere liceat? *Id.*

Vestium luxus humanis æque ac divinis legibus adversatur.

Immodicus vestium luxus humanis æque ac divinis legibus adversatur; quæ res causa fuit, ut magistratus etiam sententias suas cum zelo concionatorum conjungerent, ut malis cursum inhiberent; & videmus a Clemente Alexandrino laudibus celebrari Ethnicos magistratus, quod ab illis constituti fuerint vestium inspectores, quibus singulis diebus diligenter invigilandum erat, ne quid occurreret, quod modestiæ, atque verecundiæ adversaretur; & quod meretricibus tantum, quæ corporis sui quæstum palam facerent, permiserant, ut auro intextis, acuque phrygio depictis tunicis uterentur; quæ quidem lex paulo austerior mihi videtur. Principes, sacri illi publicæ felicitatis patroni, suprema regum consilia, fidelia æquitati subsellia nequaquam rati sunt, sapientiæ suæ nebulam, & labem offundi, eam ornatuum, ac supellectilium sumptibus regundis subjicientes. Privatorum egestas publicam trahit egestatem; divina, humanaque justitia simul conspirare debent ad populorum felicitatem fovendam. *Idem.*

Luxus, & immodestia vestium plerumque incontinentiæ nota est.

Modestia, pudor, metus naturalis sunt virtutis propugnacula, quæ tamen ut plurimum vestium luxu expugnantur. Ornantur mulieres, ut videantur, ut placeant, ut in se aliorum oculos, & admirationem convertant: molles, & adfectatas agendi, inducendique rationes adoptant; quæ in animam sexcentis malis aperiunt viam. Sola ab aliis conspiciendi cupiditas modici pudoris nota est, ait Tertullianus lib. de Veland. Virg. c. 12. *Ipsa concupiscentia non latendi non est pudica.* Generatim loquor, complures enim immodicam adfectant magnificentiam, quas tamen vitæ ratio ab omni probro tuetur; verum quantumvis frugi, & pudibundæ sint, periculum subeunt, ne pudori labes aspergant; & fateor mihi satis compertum, & exploratum non esse, quomodo severus pudor consociari possit cum hoc luxu, qui nonnumquam indecorus est, atque turpe recentium vestiendi rituum ab honestate abhorrentium mancipium. Quandonam virgo amatoriis nugis audiendis paratior est, quam cum omnibus muliebri ornata cultu refulget? Nonne tunc illa in se omnium, ora & vultus convertit? Nonne tunc laudum licentior illecebra libentius auditur? Quamvis cor tuum extra jactum esset earum rerum omnium, quæ illud corrumpere valent, puritas virtus est, quam nunquam licet abscondere, Tertullianus ait, Gloria ejus ex intimo cordis recessu extrinsecus etiam prodire debet; eamque commaculat, qui vel in minimam suspicionem adducit. Et mulier virtute prædita, ac irreprehensibilis nihil discrepare debet pudore, & verecundia ab ea, quæ æquo liberior est, & cujus fama deplorata est? *Idem.*

Immodica ornamentorum cura viris æque ac mulieribus turpis est.

Si vestium luxus & immodica hæc ornamentorum cura honori esse non potest mulieri, cujus potissima laus modestia, & puritas est; quomodo decet virum, qui majorem præ se ferre debet nobilitatem, graviorem sensum sublimitatem, & nugarum horrorem? Adolescentes isti, qui meliorem temporis partem insumunt se se ornantes, & unguentis foventis, censerene possunt, se cum honore vel leges tueri posse, vel arma attrectare? Odoramenta, amores, speculum, ornatus quomodo efformare possunt magistratum, & militem... De his judicet mundus; nos vero effeminatorum horum vitam improbare debemus, quia hujusmodi nugæ illos a pietate divellunt. Spiritum suum ornamentis, inanibusque curiositatibus pascunt; animum suum blanditiis, illecebris, amatoriisque fabulis & replent &c. *Idem.*

SUPPLEMENTUM.

Peccata, quorum luxus est causa.

Luxus est scandali argumentum: facilem aperit viam ad pleraque vitia, quæ hodierna die sæculi licentiam constituunt. Ad invidiam: quemadmodum terræ hujus bona, & honores appetimus, hirquis oculis intuemur eos, qui illa possidere videntur, & si illis cedere cogimur, illos odimus. Comparatio, quam instituimus nostrummet ipsorum cum aliis, vehemens inspirat desiderium æquandi, & si fieri potest etiam superandi. Hoc animati desiderio vim facimus ipsi etiam paupertati, ut id etiam, quod victui necessarium est, in luxum convertat. Studium inter alios nitendi efficit; ut inter nos met dicamus: ille vel illa non est plus quam ego, cur ergo patiar superari? Ad detractionem: cum non possimus æque splendide vestiri, ac alii, alios quærimus humiliare, eis detrahentes aliqua ex parte. Effodiemus occulta vitia ad pompæ illorum gloriam labe aliqua inficiendam. Suscitabuntur infamia facta, quæ contra magnifica indumenta excitent indignationem. Evolventur turpia domus alicujus arcana, propter spem effundendi caliginem externo fulgori. Ad injustitiam: dolentes eo quod videmus dies nostros in tenebris elabi, donec videmus fulgere similes nobis, quæremus in mala administratione, & vi aliquod præsidium nostræ paupertati, alienis abutentes pecuniis, opibusque in propriis effusionibus. Denique ad impuritatem; cura, quam adhibemus ad oris decorem augendum pretiosis, adscitisque ornamentis, Tertullianus ait, naturalis est obscænæ voluptatis illecebra: illecebræ æque fere periculosæ bonis, & malis; bonis quidem, quia fugiant, malis autem, quia non fugiunt objectum, quod innuunt; bonis propter laborem vincendi, malis propter voluptatem, qua fruuntur, dum superantur. *P. la Pesse in Sermone de Luxu.*

Quomodo Deus puniat luxum mulierum.

Discite, mundanæ mulieres, Isaias inquit Propheta, quanam severitate Deus puniet superbiam vestram. Dejiciet ille cyprium hunc pulverem, & cincinnos, tanta arte, & cura calamistratos. Oculorum aciem intendite in caput harum mundanarum mulierum, quæ hodierna die sunt horror sepulchrorum. Avellet a vobis aureas fibulas, purpureos cothurnos, verucula adamantina, Margaritarum torques, sandalia, vittas simul implicitas; indumenta auro intertexta. Armillæ pretiosæ, inaures, annuli, lapilli, unguenta, aureæ adornamentorum pyxides, uniones, specula, modo fovetis mundi spiritum, ridendam superbiam, fluxam, perituramque formam, aliquando vero per vos innotescet, quam ridiculæ sint illæ, quæ adeo inani fulgore pascuntur; & postquam fueritis vanitatis eorum materia, eritis causa lacrymarum, confusionis, rabiei, & desperationis earumdem. *Pater Croiset in Asceticis Exercitiis.*

Funesti effectus luxus.

Propheta Isaias ad vivum exhibet vanitatem, & luxum mulierum Sion. Acer ille modus, quo contra hoc malum invehitur, & ille, quo Deus in hoc animadvertit, satis ostendit, quam nefarium sit in oculis Dei, & in se ipso, & in malis effectibus, quos gignit in re publica, & in familiis, Libido, flagitia adeo communia, & morum corruptio fere generalis in omnibus statibus simul illius causa sunt, & effectus. Tantum curarum, ac temporis inter specula, & calamistros non insumitur, nisi ut placeas, neque places, nisi in singulos ferme dies lethifera inferantur vulnera animabus illorum, quibus places. *Non de integra conscientia*, dicebat Tertullianus in lib. de cultu fœmin. *venit studium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis scimus.* Satis liquet, quantum oris pulchritudo libidinem irritet, quos supervacaneos sumptus infirma hæc ornatuum, & indumentorum

rum cupiditas exigat, & quot indigna ferenda, & iniqua facienda sunt, ut insanis sumptibus his satisfiat. Vestium luxus profecto est vanitas puerilis, sed hæc vanitas morem sæculi sapit. Christiana morum disciplina frustra eam redarguit; mulieres hodiernæ triumphant. Nemo audet in lucem prodire, nisi circumundique niteat. Vix prædia, reditus, negotia viri supplere possunt uxoris suæ fastui, & impendiis. Non sapiunt ornatus, qui non maximi æstimantur. Unum capitis ornamentum sæpe anni totius reditum absorbet. Templa, & altaria, ut scripturæ verbis utar non ita pretiose exornantur, sicut hæc viventia mundanæ vanitatis objecta. Quod non impenditur tempus, quæ cura, quod studium, quæ forma, ut omni momento insidiæ nectantur innocentiæ ad recentes triumphos referendos? Mundana mulier tantumdem temporis numquid impendit in oratione, quantum amittit in pernicioſis hisce artibus, an potius ne unum quidem diei momentum impenditur Deo? Non igitur mirum esse debet, si fastus adeo irreligiosus, & exlex, si tanta ambitio Dominum provocat ad iracundiam, serius ocius illius indignationem inflammat, & detrahit in familias funestas eas clades, quæ omnia hæc luxus ornamenta in squallorem, luctumque convertit. *P. Croiset in Asceticis Exercitat.*

Studete, sæculi matronæ vestro muliebri mundo, consilium inite de vestrorum ornatuum ratione, tempus vestrum impendite ad cincinnos capitis vestri in ordinem cogendos, apteque calamistris dispondendos. Centies in singulos dies consulite speculum, utimini industria manuum eruditarum ad distribuendos . . . nescio propria rerum nomina. Fecistis proprium verborum vestrorum dictionarium, in quo nova reperiuntur vocabula, quorum vim non intelligo. Ornamenta sunt, quæ paucis ante hanc diem annis irridenda visa fuissent; quibus nimis multus insanientium numerus nomen aufert insaniæ. Ædificatis caput altum, & adscititium; accersitis cincinnos, qui vestri non sunt, & lapillos, qui locupletissimis patrimoniis pares æstimantur. Numquid vobis jus est vosmet credendi eo magis æstimabiles, quo majori pretio gemmas, & uniones coemistis, vel quo pretiosioribus vestibus onustæ proceditis: *Abbas Baillanu in delectis sententiis.*

Luxus fons est plurimorum malorum.

Luxus est tamquam causa plerorumque vitiorum quæ se se effundunt in omnem Christianismum, & quid nos percellit præ ceteris in verbis, & factis Salvatoris nostri, discipulorumque illius; horror est, quem illi hac in re prætetulerunt. Ad eiendum autem in vobis horrorem hunc, quem nobis inspirat ecclesia contra luxum, illum considerare tantum cupio secundum rationem, quam cum pluribus vitiorum generibus habet. Hæc enumeratio eo magis erit virtuti vestræ gloriosa, quo magis cognoscetis vitia, quæ a luxu separari non possunt. Vanitas, injustitia, & voluptas naturalem habent cum luxu nexum. Vanitas illum semper producit; injustitia illum fovet, & nutrit. Voluptas illum aliquando subsequitur, & hæc tria fere semper cum luxu conjunguntur, tamquam qualitates magis consonæ, & idoneæ ad illum fovendum. *P. la Pesse.*

Ne putetis velle me hoc sermone damnare nitorem illum æquum ac moderatum, qui debetur generi, nobilitati. Scio illos, qui præceteris nitent, exterram majestatis speciem sustinere posse cultu exteriori, qui non adversetur Evangelio. Ordo hoc postulat; & Dei Lex minime vetat. Submissio langueret, nisi externa hac specie, quæ illam tenet in officio, sustineretur; & populi indocilitas facile obliviscereturauctoritatis, quæ nullum fulgorem admitteret. Talis est humana imbecilitas: indiget exteriori pompa, quæ sentiatur, sive ad obedientiam mulcendam, seu ad imperium sustinendum. Vivite Christiani, eo cultu nitescere, qui statum vestrum deceat; in hoc nihil est quod damnem. In vobis autem reprehendere debeo excessum, qui vestram prætergreditur conditionem ac reditum, qui modestiæ adversatur, qui vestras alit cupiditates, & qui efficit, ut mundi spiritus triumphet. *Idem.*

Vanitas luxum parit, ideoque opposita est Christianæ humilitati.

Vanitas luxum parit; nemo id puto, ignorare potest. Placet unicuique immodicis nitescere sumptibus, in vestes, supellectilem, servorum familiam comparandam. Quorsum istud? quia vani sumus, & cupimus similibus offundere caliginem; res per se loquitur. Omnes hæ profusiones insanæ non nisi a noxia proficisci possunt cupiditate omnium ora, vultumque convertendi. Quomodonam simul conciliari potest horum dierum fastus cum humilitate Filii Dei, & cum iis, quæ hac in re nos docuit? Sed affirmare possumus quodammodo per hanc ipsam vanitatem vindicari. Quomodo istud? Quia hæc venitas nequit dissimulare ridiculum; indecorum, vitium Fideli viro prorsus indignum. Nonne enim objectum derisionis est sapientibus, & quibus aliquis est religionis sapor, homo, qui studet suam palpare ambitionem ex ea parte, ex qua illi uberior supetit causa se se humiliandi? Necessitas indumentorum, atque supellectilium, tristis est effectus peccati, & condemnationis hominum. Vos, qui adeo molles, ac delicati estis in indumentis vestris, non cogitatis, *quod pro magne supplicio propter transgressionem tegmen hoc excogitatum est.* Similes, S. Bernardus hom. 18. in Gen. inquit, furi, qui præferret infamiæ notam sibi a judice inustam, in pœnam sui latrocinii. Si ex terrestri paradiso expulsus non fuisses, neque subjectus morti non secus ac primi generis nostri parens, ne haberet quidem imaginem hujus factus, quo plenus es, digna luxus vestri ornamenta, turpes vestræ ignominiæ characteres! Homo qui pileum ornaret suum floribus atque tæniis aureo filo contextis, ut omnium in se ora vultusque converteret, non ne fieret potius populi ludibrium? *P. la Pesse.*

Vos decet sub auratis laquearibus, sub pretiosis hisce suppellectilibus inter horrendum fragorem, qui indesinenter exprobat vobis peccatum vestrum, decet vos, inquam, ostendere contemnendam levitatem, quæ gustus, novalsque indumentorum pompas perquirit tanta attentione; quæ fulget per tot varias libidines, per tot fastidia, per tot insanos terrores, quæ adeo facile suam fastidit electionem, quæ mutatur juxta colores, texturam, & imagines, quæ arrident inconstanti cupiditati mutandi, semper agitatæ inutili sollicitudine, zelotypa vigilantia, inexplebili mollitie. Decet vos ad miseras adfectationes confugere, quæ vobis crucem figant in verbis, in incessu, in toto corporis habitu? Decet vos mutuari superbiam, & præclaras dotes, quæ fortasse se vobis desunt, ad sustinendi vestrorum ornatuum minorem? Verum est; quod cum nosmet inter æquales videmur emicare, natura nobis insitum est, ut doleamus ob contemptum, in quo haberi possumus, sed cavendum est quam diligenter, ne hæc ipsa superbia, quam adfectamus, nos potius in ridiculum traducat. *Idem.*

Cui servituti obnoxius est qui luxum diligit.

Luxus, ut plurimum dissipat & bonum, quod possidetur, & bonum, quod debetur. Sed non est, cur vobis repræsentem, quanti stet illis ipsis, qui illum depereunt. Opes eorum consumptæ, nummi necessario mutuo accepti, prælagium lapsus eorum, hæc satis illos docent. Quæritur, quanti stet hominibus, qui nihil ad luxum conferunt, nisi quod ex illius effectibus patiuntur. Qui se se immergunt in fastum, qui neque characteri ipsorum, neque Religioni convenit, pluribus sunt debitores, quorum hoc vitio jura offendunt, Principi, reipublicæ, familiæ, cognationi, pauperibus, & creditoribus suis. Principi quidem, & Reipublicæ: certum est publicum bonum bono privato esse anteferendum; magis enim est necessarium incolumitati corporis totius reipublicæ, cujus pars sumus. Si nobiles obligurierint universum patrimonium suum, & bona parentum suorum, quisnam rem publicam tuebitur? Si privati prodegerint opes suas, quis obibit diversa munera, quæ ad corporis hujus salutem inserviunt? Commercium non ne curruet? & universus ordo politicus, qui regnum tuetur, nonne delebitur? Num modica est in Parentibus injustitia prodigere bona sarta, & tecta reservanda filiis, & hæredibus, ut inde victum sibi valeant comparare? Ita avita bona superfluis sumptibus atterrere in luxu, nonne est pauperum bona eripere, quibus debemus superfluum bonorum nostrorum, & pro quibus omnia terræ bona creata fuerant æque ac pro omnibus hominibus? Dicamus ergo: luxum in omni sensu damnabilem esse, sive spectetur injuria, quæ fit privatis, sive spectetur damnum: quod inde cedit reipublicæ, & cujus plerumque luxus effectus est. *P. la Pesse.*

Civilem evertit societate, & causa est interitus familiarum.

Si animum advertimus ad infinita fere damna, quæ luxus parit in civili societate, quot funesti effectus illinc orjuntur, possimum quoad justitiam, & æquitatem, quam nobis ultro citroque debemus? Æternum pecuniam prodigere in servorum caterva, in equis, in penetralibus, in tabulis, signis, ornatibus, conviviis, cætibusque voluptuariis: hoccine est, quæso constatum æs alienum dissolvere? Hoccine est creditoribus suis satisfacere? Justitia non ne petit a vobis, ut tandem aliquando assolvatis æs tanto ante hanc diem tempore conflatum? Nonne vobis aliquid abscindendum est de luxu, & pompa vestra, de vestris deliciis, & voluptatibus, denique de fastu vestro quidquid potestis, ad sarciendum creditorum vestrorum jacturam? Quid? illi jacebunt tamquam in pulvere, dum magnifice sumptibus eorum vivetis? At enim in mundo vivendi formam instituit, non possum ibi aliam gerere personam. O responsionem vobis dignam! Licet ne cuicum-

cuicumque alienis sumptibus enitescere? licet ne tuta conscientia vosmet vestris exornare latrociniis, ut cum fastu vivatis? Licetne proximum vestrum evertere, ut niteatis? Sed mihi animus est filios meos ad honores, & magistratus provehendi: hæc quidem præclara sunt ministeria ad extremum usque quadrantem persolvenda. Vel Evangelio, vel luxui abrenunciandum est; nil medium potest admitti. *Pater la Pesse.*

Luxus est cui insigni crudelitate conjunctus.

Neque satis est luxui repletum esse injustitia: hæc ipsa injustitia repleta est insigni crudelitate, qui enim fastum diligunt, hunc omnium oculis objicere adfectant; quippe verus character luxus est coram mundo nitescere, & numquam latere. Sed hæc misera placendi libido, nonne videtur etiam desiderium insultandi miseris, quos hic luxus facit in statibus diversis, a quibus ornamenta sua mutuatur: Sed acriter suam sentiunt miseriam illi, quo fastus vester, & superflui sumptus miseros faciunt. Sed quam infans est crudelitas horum, qui mundano spiritui exterioriqoe huic speciei devoti, quæ id unum quærit, ut mundo placeat? Non solent illi quærere, quod melius illis sapit, sed quod majori pretio comparatur. Adfectabitur modo magnificentia æque obscura, ac simplex; tamen perniciosissima: modo nitor æque incommodus, & importunus, ac fulgidus. Quantum mutationum in his ornatuum generibus! Qnomodo conqueruntur mortales, licet se eorum servos esse profiteantur? Quot motus, & curæ, ut tales, vel tales deligantur formæ, ut hic vel ille color feligatur! Quot sibi pugnantia imperia domesticæ mulieris dies integros in id jugiter intentæ, ut libidini satisfaciat dominæ suæ, quæ neque ipsa covit, nec quid factu sibi opus sit, neque quid sibi velit, ut theatricam induat formam in omnibus cœtibus, in quo cupit prodire. Quot variæ illam agitant, & exercent sollicitudines, cum speculum consulit. Hæc omnis temporum jactura, omnesque sumptus, quibus stat talium personarum repræsentatio; omnes supellectiles, quæ exteriorem hanc decent magnificentiam, nihilne stant miseris creditoribus, variis opificibus, qui in illis operam suam locaverunt? Nonne videntur mortales hujusmodi gloriæ sibi vertere excidium eorum, & crudelitatem, qua illius ad incitas redigunt? *Auctor recens.*

Videtur luxus magis magisque augeri, & confirmari legibus Principum, & Magistratuum illum prohibentium; monitis Directorum illum damnantium, zelo concionatorum illum redarguentium, rationibus, quas ascetici afferunt libri ad illum corrigendum, ipsa eadem miseria, quæ sumptus suppeditare non potest. Tot licet accusatores in illum declament, inter, augetur, confirmatur. Quæ crudelitas! quæ sensum carentia! ille, cui debetur, gemit, dolet, ad desperationem adigitur, nihil interest: hic nitor sustinendus est. Pauperes filii negliguntur, nondum habent aut vocem, ut conquerantur, aut manus, ut misericordiam implorent; eorum omnino parens uterque obliviscitur; non cessant tamen in parentum suorum supellectilibus & indumentis aurum, atque argentum fulgere. Proculdubio indigna crudelitas non dico homine Christiano, imo neque Ethnico crassiore, atque rudiore. Et quid tentare non audent, quæso id genus hominum, qui nitescere adfectant? Ullamne habere videntur Dei cognitionem adfectantes sumptuositatem adeo contrariam Evangelio, quod innititur humilitati dumtaxat & charitati? Majores isti adeo magnifici possunt ne inspirare filiis suis pietatem fastui suo adeo contrariam, & oppositam luxui? Quomodonam instituere possunt filios suos, cum omnino devoti sint spiritui sæculi? Quas illi procurare provincias possunt? cum omnia illorum bona vix sufficiant ad luxum eorum tuendum. *P. la Pesse.*

Omnia vitia in luxu concurrunt.

Quibus coloribus satis vividis vobis exhibere possum omnia crimina, omnia vitia, & mala, quæ a luxu procedunt? Nonne adhibentur manus iniquitatis ad sese ornandum? Nonne est tristis merces malarum rei domesticæ observationum, concussionum, rapinarum, violentiæ? Nonne emicat, quia puritati ejus labes offusa est; quia pudor læsus est, & fere ad nihilum redactus? Et hic luxus, & fastus, qui adeo parum decet modestiam, & conditionem, & usitatos familiæ reditus, nonne locupletatus est honoris naufragi reliquiis? Necessarii, Familiares, quibus commissum est domini, dominæque secretum, hoc non ignoratis. Puritas pretiosum Christianæ Religionis ornamentum, requies conscientiarum & familiarum sacrificaberis, vel potius fortasse jamjam sacrificata fuisti ambitioni, fastui, qui jacturam sui prohibere non potest. Patres, matresque adeo igitur filiis vestris vitam dedistis, ut fierent miseriæ victimæ luxus vestri, & funesti desiderii vestri, quo flagratis, in mundo emicandi? *Auctor recens.*

Varia imperia in terris constituta debent interitum suum luxui.

Scite quidem notaverunt Historici luxum unam ex præcipuis extitisse causis excidii Imperiorum, quæ floruerunt, & quorum alia aliorum ruina, & reliquiis crevere. Donec ignoravit Roma mollem, delicatamque pompam Græciæ aliarumque gentium obtinuit imperium; ex quo autem subditorum populorum mores secuta est, & quæsivit in sua magnificentia voluptatem, facta est inimicorum præda, & omnigenarum calamitatum theatrum effecta est. Luxus frangit animos, cumque placeat, facile invenit imitatores. Suos perdit amatores, ac teles, illos quidem pravis ejusdem affectionibus blandiendo, horum autem pravas cupiditates irritando; illos periculosis deliciis, quibus implicat, hos pravis desideriis, quæ in illorum inflammat. Modestia, pudor, metus naturalia sunt virtutis propugnacula? hæc plerumque luxu evertit. Sese non comit, & exornat, neque suum nitorem ostentat, nisi ut videatur, placeat, ac sese confirmet. Mores induit molles, & adfectatos, qui invitat, animamque sexcentis operit insiquitatibus. *P. la Pesse.*

Verum est, non diffiteor, non deesse quosdam, qui immodicam affectant magnificentiam, & qui tamen ob suum vivendi genus in re alia qualibet sunt irreprensibiles. Sed quantumcunque pii, ac boni sint, semper imminet illis periculum, ut tales esse cessent, & testor mihi non liquere, quomodo consociari possit casta severitas cum insigni luxu, nonnunquam indecoro, & mancipi formis omnibus magis inhonestis. Quandonam paratiores ad nugas amatorias audiendas, nisi cum te renitentem vides varietate, ac opulentia indumentorum? Nonne tunc cum omnium ora, vultusque in te convertis, & libentius respondes? Nonne tunc cum blande laus jucundus admittitur? Cor tuum licet nullis esset tentatum illecebris, quibus corrumpi valeret; puritas virtus est, quam nemo celare potest; ejus gloria ab interiori parte resilit in exteriorem: & mulier virtute prædita, & irreprehensibilis nonne dignoscenda est per corporis, & indumentorum speciem, & meretricula, cujus fama conclamata est? Quodnam illa decorum servat, ne quid simile de se judicetur ex gestibus, & luxu prorsus similibus? Si viro suo placere studet; debet ergo id quærere, ut uni illi placeat; quod si filiam suam eodem instruit apparatu, eademque immodestia; quam pridem fis est in Christianismo labem afferre modestiæ ad legitimum amorem fovendam? *Idem.*

Quam deplorandi sint, quorum occupatio est diem totum in luxu traducere.

Silentio hic præterire non possum maximi momenti animadversionem circa mollitiam, quæ vulgo luxus dissolutionem concomitatur. Ad eandem hoc decus, quod oculos ac læpe et am mortalium allicit corda, colenda est pulchritudo sexcentis curis periculosis, molliter vita curanda est, quærenda sunt omnia, quæ corpus palpare possunt. Heu si volvere auderem mundi muliebris involucrum, ubi latet pars secretorum harum mollium animarum! Sed decentius est tacere. Qua in re dies tota transigitur ad tuendum splendidum hunc Idoli apparatum. Et infamis nuditates, quæ nonnumquam objiciuntur, quas curas non postulant, quæ nos rubore suffunderent, nisi facta jam fuisset pudoris jactura? Hæc autem adeo delicata mollities suapte natura virtutis inimica est. Ipsi et am Ethnici in hoc Ethicæ principio consentiunt. Qui luxum diligit, vacat orando, & laginando corpori: verum quid fiat, si accederit unquam; ut vitæ rationem immutare velit, & mundo terga dare? Quam in se repugnantiam experitur in bonum? Quot hauriendæ sunt pœnæ, si velit bonum exercere? Quænam esse potest virtus illius inter tot, & assidua, & voluntaria pericula eam corrumpendi, nisi potius illa omnino fuerit corrupta? *P. la Pesse.*

Hæc mollities individua luxu socia non potest honori esse mulieri, cujus molestia, & pudor esse debent gloria. Sed quanto magis dedecorat virum, qui præferre debet plus nobilitatis, & sublimitatis in sensibus, & plus soliditatis in moribus? Adolescentulæ, quæ non minimam temporis partem absumunt inter calamistros, & unguenta arbitrari ne possent leges, & arma cum honore in manibus earum versari posse? Odores, amatoriæ nugæ, speculum, ornamenta quomodonam Magistratum, & militem efficere possent? Sed effœminati mortales, quantumvis ad virtutem facti videri possunt, spiritum suum non alunt, nisi recentibus vestium, & ornatuum generibus, inanibusque curiositatibus. Corda sua non occupant, nisi placendi studio; obeunt cœtus mundanarum mulierum, ut amorem vel hauriant, vel inspirent, ut adulentur, ut & ipsi laudes aucupentur licet contemptu dignissimi. Gloriari de iis, quæ videntur omnem Dei timorem excedere, hoc eorum evangelium est; & ecce quomodo in mundo hoc adeo nitenti, ipse etiam Religionis conceptus amittitur. *Idem.*

Mun-

Luxus in omnes vitæ conditiones vitiis invehit.

Mundus etiam superbissimus satis prodit ridiculum vanitatis, quæ in luxu est. Licet cæcutire velit in flagitiis suis, rite, ac recte verba facit de eo, quod in illa indecorum est. Quid non dicitur in congressibus de eo, qui ultra conditionem suam velit assurgere? Quas improbas curas sibi sumunt, ut effodiant, & in lucem proferant quidquid illos continere deberet intra fines status sui? Quot contumeliosæ animadversiones in agros; curam familiarem, & cognationem illius? Quot irrisiones in modos, quibus mentiuntur pretium panni illius, quo induta est? Nobis non est opus judiciorum mundi, ut luxus turpitudinem intelligamus: nos ipsi feramus judicium. Quam indignum est, quod conditionum discrimen vix colligi valeat ex vestimentorum varietate! ut sæpe dignitas, ac meritum secedere debeant a turba simplici, constantique corporis cultu! ut omnium characterum mortales teneantur comparare dotem cum supellectili; id quod renidet, si lumen accesserit, cum eo quod languet in tenebris: id, quod prodigitur, cum eo quod debetur? Sed quid? ipsa quoque miseria esse potest frænum vanitati; & indigentia frustra fert suppetias Evangelio, ut modestiam inspiret. *P. la Pesse.*

Impossibile est, S. Chrysostomus hom. 37. in Genes. inquit, *aliquam agere curam animæ, & tanti facere corporis pulchritudinem, & ornamentum.* Nitor auri perstringit oculos, & servorum numerus obtundit aures illius, qui studet nitescere. Quomodo inter tantum hunc fragorem tantopere Evangelio contrarium de Deo potest cogitari? Tempore opus est, cura, vigilantia, studio, arte ad servanda sarta tecta tot varia instrumenta, ac ornamenta, in quibus luxus pompa consistit. Nihil est quantumvis minutissimum, cui mulier cultus sui studio dedita non debeat incessanter oculum, manumque adhibere, Quam horam diei vacuam invenies, quam vanitas illi saluti suæ impendendam permittat? Amor, quo profequitur renidentes etiam quisquilias, amovet animum a cœlestibus, atque æternis veritatibus. Dic fodes, credis ne cum humilitate preces effundi posse, donec sibi plaudit vanitas, ob fulgorem, quo est circumfusa? credisne posse aliquem addiscere cupiditatum suarum subigendarum rationem, cum illæ beate iis gaudent illicitis, quibus palpantur? Lepidum sane spectaculum est, si dicere fas est, mundana mulier omnibus calamistris, totoque mundo suo circumornata, omnibus strepitu circumdata in ipsis etiam pœnitentiæ exercitationibus! Ecce illas ad aras, proculdubio humilitatis suæ conceptu imbuta; ecce cor dolore contrarium, Mundus, ut videtur, ad eam non pertinet ultra. Sed quinam Christianismus, Tertullianus ait, sub pretioso ambitionis apparatu divinam lenire justitiam contendit? *Num ergo in coccino, & Tyrio pro delictis supplicare nos coiceder? Idem.*

Ut intelligatis, in quæ scelera nos luxus impellat, ostendam satis est, quædam esse peccata quibusdam tantum virtutibus opposita, & quæ intra nequitiæ suæ cancellos conclusa ad certum dumtaxat scelus procedunt, verum non alia desunt, quæ tot virtutibus adversantur, ut dictu difficile sit, cuinam potissimum adversentur. Hujus generis luxus est, & hoc vobis probaturus sum, illud tamquam monstrum triceps ostendens, quod tribus primis moralibus virtutibus bellum indicit. Hoc mihi argumentum S. Chrysostomus suppeditat, ipse quoque eloquentiæ suæ arma distrinxit, ut illud everteret Antiochiæ, & Byzantii, quandoquidem ævo ipsius latius generatim per omnes conditiones grassabatur. Ejus ergo sententiam assumo, ostendens hunc fontem esse superbiæ, mollitiæ, & crudelitatis, quia inflat spiritum, corrumpit cor, & tandem animum indurat. Ita peccatum hoc, in quo hodierna die, ut ajunt, tota sita est mundi elegantia, oppugnat humilitatem, temperantiam, & charitatem, ambitione, qua mens summorum virorum tumet; nobilitate, ad quam divitum corda sollicitat, & sævitia in pauperes, qua mundanorum animam indurat. *Ser. Ms.*

S. Joannes Chrysost. ita animadvertit, & jure suo conquestus est, necessitatem mortalium effecisse, ut artes invenirent, quæ ipsorum deservirent utilitati. Luxus has artes corrupit, illas traducens, ut vanitati deserviant. Ita artes ædificandi domos, vestesque consuendi, quæ nos adversus cœli injurias, & varias anni tempestates tuerentur, degenerarunt, & corruptæ sunt, ex quo luxui, & magnificentiæ parere coactæ sunt, & a sapientia, quæ illas invexit, & excogitavit, traductæ sunt ad insaniam, atque nimia mentis subtilitate superbia non sine humilitatis impendio adaucta est; hic enim primus est charactér luxus ambitionem explere, & destruere humilitatem. *Idem.*

Quid sit luxus & in quo consistat. Funesti effectus luxus

Quicumque sit nostræ dignitatis apex, non video unde procedat æstimatio illa, quam de nobismet ipsis habemus. Luxus nos excæcat. In exteriori hac luce nosmet ipsos non cognoscimus. In hoc toto magnificentiæ apparatu facile cæcutimus, & nostram conditionem illi Herois alicujus similem esse putamus. Sed ea, quæ nobis circumstant, possunt ne aliquid adjicere illi, quod sumus? Luxus ambitiosam hanc creat cæcitatem. Nosmet tamquam aliis præstantiores intuemur, & perinde ac mutatis vestimentis mutaretur natura, obliviscimur nos homines esse, ut magnos esse meminerimus. Neque mihi dixerit quispiam, parvulos esse ab hac immunes superbia, & magnos tantum sua magnitudine, & luxu excæcari; nam adolescens cujuscumque tandem conditionis sit, ubi semel in luxu fuerit, & magnificis se indumentis ornatum conspexerit, non minus gloriosus, votique sui compos est, quam Imperator ob nuperam victoriam de hostibus relatam. Conditio non mutat affectionem, & mulier onerata potius, quam ornata mundo muliebri ambitionis tantum sibi complacet, ut credat se a nemine pulchritudine superari. Hi tamen sunt effectus luxus innocentiores. Mulier hæc nihil aliud cogitat, quam torquem margaritarum, ex quo tantum haurit speciei, & a quo illa etiam torquetur, non videt nisi armillas, quibus lacerti tamquam remigis alligantur. Prætereo mala, quorum causa luxus est: Quidnis mundus dicat hæc ornamenta infirmitatis esse in sexu muliebri venia dignas, hic amor proprius, cui illæ serviunt, eas superbas efficit, & rebelles, & per hoc creatura eum usurpare contendit locum, qui uni debetur Deo. Quemadmodum sibimet magis magisque complacendo amor sui progressu temporis eo procedit, ut nil ament: præterea, facile est cognoscere, quomodo ejiciatur Deus, ut ita dicam, per hunc cæcum morem, & quomodo inde oboriatur idololatria. Et hoc satis non est, ut detestemur luxum, monstrum illud, quod in humano spiritu tot funestos effectus producit? *Sermo Ms.*

possumus affirmare, hunc esse patrem idololatriæ.

Docet nos Filius Dei, quin opibus utamur ad inutilem principum virorum gratiam, fallacemque amicitiam comparandam, ad pretiosam supellectilem comendam, ad mensam splendidam opipare instruendam, familiorumque catervas alendas; quin nostras pecunias in insanis sumptibus, in luxu, & alea, solatiisque, quæ ferius, ocyus supremam dominum cogunt, ut nos ab ejus famulatu extrudat, ac tamquam injustos œconomos reprobet: collocemus in manibus pauperum bona, quæ in vitam alteram non transeunt, nisi per hoc charitatis commercium. Per hanc permutationem certum nobis facimus justum eorum pretium in cœlo. Hæc si deficiat permutatio omnia bona nostra terrestria pereunt in manibus nostris. Terræ bona nullius sunt pretii ad cœlum emendum, & nonnisi per eleemosynæ commercium nobis in alteram vitam fieri possunt utilia. Ecce, quid nos docere voluit Apostolus. Hoc magni momenti lectio est omnibus hominibus; lectio tamen, ex qua paucissimi proficiunt; quæ causa est jacturæ animarum quamplurimarum, quæ non advertentes animum ad hæc officia, quorum utilitas est maxima, securi in alterum mundum migrant, quin sciant, quid sibi in hoc fuisset faciendum. *P. Croiset in Ascetiis exercitationibus.*

Qui audet accedere coram Deo magnifice induti, judices potius videntur, quæ rei.

Quid dici non potest de luxu vestium in isto, qui audet sese statuere coram Deo exinanito, & in ejusdem templum ingredi eo apparatu, qui aris ipsis incutit pudorem? Qui viderit matronam hanc hoc fastu ingredientem in Sancta, quid inquiet? hæc peccatrix est huc veniens coram judice suo peccati veniam exoratura? An prorsus aliter existimabit Reginam esse solium suum adscensuram ad aliquam subditis gratiam largiendam, aut nocentibus criminum veniam concedendam. Hic judicium ferri potest, quantum luxus christianæ humilitati adversetur, & qua cura evitandus sit fastus, atque exterior magnificentia, quæ potest oculis mortalium placere, & infinite displicet Deo. *Sermo Ms.*

S. Chrysostomus ait, fas esse injicere peccatori ruborem insaniæ ipsius; fas ergo mihi sit vos ab hac stultitia curare vobis luxus vestri vanitatem ab oculis statuendo. Mundi sectatores, spiritus vani, qui vestium vestrarum magnificentiam ostentatis, sibi quæso bonus est sensus vester? Vel potius reliqua ne vobis est aliqua rationis particula, inde superbientibus, quod vobis cedit in ignominiam? Ex insania vestra crescere vultis, & gloriæ meritisque vestris ducere id, quod incessanter vobis ob oculos statuere debet peccatorum vestrorum turpitudinem, & id etiam quod simul eorum supplicium est. Si quid esse potest gloriæ in omnibus hisce ornamentis, hoc jure suo pertinet ad opificis prudentiam, qui ea ad hanc perfectionem adduxit, non

non autem ad merita vestra, cum nihil ad ea contuleritis. Scire ne vultis, quid mundus dicturus sit vos hisce nugis instructos conspiciens? Judicabit vos indigere hoc histrionico ornatu ad tegendas, vel generis vestri sordes, vel scelerum vestrorum infamiam. Apud mortales oculos famam aucupamini, sed tantum aberit, ut vobis eorum existimationem concilietis, ut vos potius leves, insipientes, & vanos judicaturi sint, qui tantos sumptus erogatis pro ornatibus, qui histriorum potius decant, quam viros honestos. Non ne videtis tantum abesse, ut cuicumque placeatis, ut immo simul pauperes, & divites, summos & imos irritetis? *Serm. manuscr.*

Rationes, Propter quas luxum, & vanitatem debemus perhorrescere.

Temeraria, sibique nimis præfidens securitas, in qua puellæ in mundo vivunt luxum inter, & vanitatem, illis est quasi certissimum reprobationis argumentum, & quæ in hac funesta requie aliquid turbæ sentiunt, dicere possunt beatam hanc turbam effectum esse gratiæ prorsus peculiaris, quam Deo acceptam referre debent. Et sane mulier, & puella christiana sese possunt exornare fulgentibus, pretiosisque indumentis? Possunt ne suos crines odorato pulvere, & unguentis comere, ac inani sese cultu exornare, quo passim in mundo uti consueverunt? Tandem possunt ne ullam sperare salutem? Hoc ad examen revocandum est, sed prius statuendæ sunt aliquot fundamentales veritates Christianismi. Præcipuum Christiani hominis officium est fideliter ea adimplere, quæ pollicitus est in ipso Baptismate, videlicet abrenuntiare sæculi vanitatibus, & pompis Satanæ. Sancti Patres hoc esse votum docent, & S. Hieronymus Ep. ad Heliod. illud appellat maximum, sanctissimumque votorum omnium, quæ valeant nuncupari. Dei Filius nobis hoc imperavit, ubi Luc. 14. inquit: *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Non quod velit, bona omnia a nobis distribui; id enim est consilii, cui pauci sunt pares, sed mundi bonis, & vanitatibus inhærendum non esse. Salvator ipse dicit etiam Luc. 13. *nisi efficiamur sicut parvuli*, nos aditu in regnum cœlorum esse prohibendos. His alia accedat ratio, quæ est, nobis pœnitentiam agendam esse, si saluti nostræ prospicere debemus: *Nisi pœnitentiam egeritis; omnes simul peribitis.* Luc. 13. Ex his omnibus Evangelicis institutis judicate, utrum fœmina, aut puella magnifice ornata omnibus sæculi pompis circumamicta gestet crucem suam, & agat pœnitentiam juxta mandatum Filii Dei; utrum humilis sit; utrum sæculi pompis abrenuntiaverit. Igitur pro certo asseri potest, si sperat se salvam fore, spem illius inanem esse, & meram esse illusionem. Hæ rationes satis validæ sunt, & ad persuadendum aptæ, ut omnes, quibus aliquid superest religionis, luxui nuncium mittant, sed sicuti in mundo mortum corruptio consuetudo, communis usus ordinem omnem evertunt, ut nullum amplius intercedat discrimen ornatuum inter oppidanos, ac Principem, inter divites, & pauperes, dicere possumus luxum per sæculi corruptionem factum esse communem statuum omnium usum, & mundi sectatores ne tonitrui quidem fragore ab hoc posse sopore excitari. *Ex Christianis rudimentis pro puellarum educationibus.*

Flores superant pulchritudine ornatus omnes, quibus divites utuntur.

Quinam suptus non erogantur? quænam sollicitudines non suscipiuntur, ut mortales sese induant magnifice, & niteant? Exhauritur ars, & exhauriuntur arculæ, ut emicent, ut aliorum oculos perstringant, ut in sui admirationem cæteros rapiant; nihilominus post omnes curas impensas, ut sibi metipsis imponant, ut aliis placeant, vere dicere possumus illos inutiliter laborasse, quoniam lilium, flos, qui sine ulla oltoris cura in agris oritur, nitore, ordine, proportione, colorum varietate purpurei, viridis, albi, flavi, cærulei, superat, quam quid magis decorum est, & ex discoloribus pannis artificiosus compactum. Considerate quæso rosam, tulipam, violam, vaccinium, flosculum etiam campestrem, & fateri cogemini hæc singula fulgidius emicare, quam ornamenta omnia acu picta, auroque intexta, quibus Reges, & Imperatores ornati sunt, cum coram populo sunt proditurí. Hoc nobis edixit Dei Filius his verbis: Matth. 6. *Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent: dico autem vobis, quoniam neque Salomon in omni gloria sua cooperatus est sicut unum ex istis.* Si Salvator ait, magnum hunc Regem omnium, qui extiterunt, potentissimum, locupletissimumque minus bene indutum fuisse, quam flores; quantum naturalis eorum pulchritudo omnem Regum recentium magnificentiam superabit? Perfecta igitur insania est omne studium omnemque gloriam collocare in exterioribus hisce ornamentis, quæ sæpius suspicionem inducunt de merito illius, quæ compta, ornataque est, quam illud augeant. Prisci jure optimo dicebant hac in re, non omnia, quæ nitent, aurum esse; sed addendum erat, non esse sterquilinium, quidquid non lucet. *P. Croiset in ascetiis exercit.*

S. Cyprianus unum ex præcipuis Christianæ Religionis luminibus loquens de Christianarum Virginum indumentis, ait cum illæ sint membra Filii Dei, secundum Apostoli verba, omnesque simul J. C. corpus componant, iisdem eas esse vestes adhibendas, quæ Deo placeant, non autem mundo. Christianæ virgines sunt etiam templa Spiritu Sancti. Parentes, qui sunt earum custodes curare debent, ne quid profanum earum sanctitatem corrumpat, ne Deus illic inhabitans loco decedat. Vestes, idem S. Doctor inquit, non secus atque corpora suam habent castitatem, neque satis est puritatis carnem habere, ni simul & vestimentorum puritas habeatur. Christiana virtus duo exigit, ut aliquis vere sit castus in oculis Dei. Christianæ virgini satis esse non debet, si cor habeat purum, oportet etiam, ut puritas hæc resiliat in ipsa indumenta, & ex illius modestia de animæ integritate ferri possit judicium. Virtus, quæ reddit corpus nostrum aliquo honore dignum, est pudicitia. Mundi vanitas hoc bono privat illud; vanique cultus reddunt infame christianæ virginis corpus. Castitas non quærit ornatus, ut perfectam habeat pulchritudinem; ipsa sibi sua est pulchritudo, quæ numquam Deo magis est acceptior, quam cum non quærit variis ornatibus mortalium in se ora, vultusque convertere. Omnia carnis desideria tendunt ad ornatus, ad luxum, ad vitia omnia, quæ illum consequunt. Hoc Ethnicos decet; sed Christianis est nefas. *Ex Christianis rudimentis pro puellarum educatione.*

Consuetudo & forma recens probare nō possunt exquisita, & superflua ornamenta.

Christiana mulier prætexere nequaquam potest recentem formam, & usum, ut sese exquisitis, & supervacaneis instruat ornamentis, quia consuetudo, & usus ipsa per se mala sunt, & per blandas illecebras inspirant vitii, & voluptatis amorem. At enim, sequi numerum licet, & facere, quod ab aliis fit. S. Chrysost. respondet ob hanc ipsam causam nobis a consuetudine abstinendum esse, si in turba saluti nostræ velimus consulere; multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Docet Salvator amplectendam esse arctam viam si vis salvus fieri. At inquies, cuique suus status servandus est, & servandum decorum illius conditionis, quæ in mundo obtigit nobis. Nempe te exornas, ut qui te videnr, ex vestibus tuis de conditione tua judicantes honorem tribuant tibi, & ut melius eorum in te oculos convertas, indueris variis, nitidisque vestibus, quibus facilius conspiciaris. Hæc procul dubio ambitio est, quæ non vacat crimine. & actio hæc Deo placere non potest, cum dixerit Apostolus, eos qui hominum famam aucupantur, Dei æstimationem amissuros, & mulieres, quæ conantur in mundo enitescere, coram Deo futuras miserrimas. *Ex eodem tractatu.*

Non satis est sibi persuasum esse de injustitia, & abusu mortalium circa vestes & superfluos ornatus: sciendum quoque est, quinam in hac re canon servandus sit. Audiamus, quid S. Hieronymus doceat. S. hic Doctor ad virginem Romæ summo genere ortam scribens inter cetera inquit; illi modestis utendum esse ornatis, quæ christianam redoleant virginem quæ profitetur se J. C. sequi; munda sint, pura, supplicia, sine adfectatione: quia, dicit ille, mundities Christianam virginem decet, dummodo hæc nimis curiosa non sit, & adfectata. Ethnici quoque magna nobis reliquerunt exempla luxum evitandi. Lacedæmone quippe lege cautum erat, ut honestæ mulieres ab inhonestis distinguerentur vestium modestia; & Romæ lata lex est, qua in Matronis Romanis vestium pompa interdicebatur. Hac in re extrema duo sunt evitanda; videlicet nimius in ornatibus luxus, & indecens negligentia, quæ ex S. Bern. indicium est externi habitus male instituti, & nonnumquam etiam interni omni ordine, & sapientia carentis. Verum secundum Scripturarum, sanctorumque Patrum sententiam generatim in ignem conjicienda sunt hæc omnia vanitatis instrumenta, hæc confusa multitudo cerorum denticulatorum diversorum ordinum, & figurarum, quin aliquo modo quærantur varia artis inventa, hæc melina medicamenta, hi unguentarii pulveres, & satis esse debet nativos crines honesta elegantia componere, quæ honestorum virorum oculos non offendat. *Ex eodem tractatu.*

Non solum evitanda est vestium vanitas; sed earum modestia inquirenda est.

Neque satis est ornatuum superfluitatem in vestibus moderari, ipsa quoque pannorum qualitas est inspicienda. Evitate Christianæ mulieres Ethnicam sumptuositatem, quæ in mundo grassatur. Vosmet exornate pannis magis modestis, sive coloris, sive pretii ratio spectetur.

tur. Quæritæ, ac imitamini exemplum matronarum, quæ honestiores, ac religiosiores habentur; & licet illis juniores sitis, abstinete ab hoc excessu operum acu phrygio elaboratorum, fimbriarum ex auro nitentium atque argento, quæ in lus histrionibus, saltatricibusque conveniunt. Nonne debetis rubore suffundi videntes tot aras in civitatibus, & pagis adeo omni cultu, ornatuque carentes, cum ipsæ aurum, argentumque in indumentis vestris deseratis? Opus ne est, ut Principes decreta proponant ad fastum eliminandum? Tamen illi hunc nequaquam concedunt iis quæ sunt infra gradum principum Matronarum, & earum, quæ præcipuam obtinent dignitatem. Hæc supervacanea sunt, quæ sæculi pompa invexit, sed quæ aliquando vos teterrimæ damnationi subjicient propter opum vestrarum abusum. *Ibidem.*

Mundani, qui sæculi placitis inhærent, quin sibi aliquam interdicant voluptatem, fere semper in nexios proruunt excessus. Huic satis non est ludere, opus est, ut aleæ ingentem vim auri committat, & cum quietis, familiæ, conscientiæque suæ detrimento vitiosum contrahat habitum ejus rei, quæ illi esse deberet loco honesti solatii. Mulieri huic satis non est semper recentes usus sequi; vult etiam statum suum, & sæpe etiam sæculi vires excedere. Quidquid locupletissimum est, & magnificentissimum arridet ei; & quin aliquid ex luxu detrahat in pauperum solatium, plerumque eorum spoliis ornatur. Non satis est huic viro voluptatibus dedito ali juxta suæ conditionis, bonorumque suorum modulum: quin mortificatione sua honori sit nomini Christiano quod gerit, aut frugali, honestaque mensa contentus sit, nonnisi raras, affluentesque dapes requirit. Opus est, ut anni tempora vices mutent illi; ut præcoqui fructus in antecessum ad maturitatem festinent; ut aer, nemora, lacus illius superfluitatibus, & gulæ deserviant. Novit ille ex gustu venaticæ prædæ, cujus sit, unde adducta. S. Hieronym. inquit: novit regiones, & regionum nomina, unde exquisitissimi uvarum latices advehantur, varia avium, piscium que genera, quibus si quando abstinet, hoc accidit, ut deinceps sibi magis sapiant; temperans per ipsum intemperantiæ principium: nonnisi per coactam sobrietatem secedens a sodalibus comportationum suarum, seu victimis suarum libidinum, & se aliquot dierum diætæ condemnas, nisi ut avidius, & majori cum voluptate ad commessationes suas revertatur. Non satis autem est, quod divites se se tradant flagitiis, quæ illis vel ambitio, vel voluptas suggerit, opus etiam est, ut opifices quoque adversa jactati fortuna eorum exempla imitentur. Et profecto passim videmus in simplici popello non deesse quosdam ita vanitate plenos, qui sibi interdicunt ea, quæ illis sunt ad victum maxime necessaria, ut sublimioris conditionis existimentur; & alios, qui omnem quæstum in abdomine collocantes sinunt, ut uxores, filiique fame pereant; & nimium ventri indulgendo in ætatis flore omnem humanitatem amittunt, unam si hominis externam speciem excipias. Ita homo iis omnibus vitiis mancipatus, in quæ illum trahit luxus, potius censeri potest parvum monstrum, quam persona sui compos, & ratione prædita. *Ex moralibus Serm. de Mysteriis Domini.*

Luxus odii necessarium esse Christiano viro.

Vere affirmari potest luxui acceptas referendas esse plerasque sæculi iniquitates. Hoc adeo verum est, ut hæretici, ut aliquem adstruerent conceptum sanctitatis hæresum suarum, plerumque initium duxerint a regendo fastu discipulorum suorum, & illos subjiciendo exteriori modestiæ, quæ recentibus eorum sententiis admirationem conciliet. Hæc inanis, injusta, voluptuosa pompa spiritui J. C. opposita est, quem summo nisu deformare student usque ad mendacium, ad infidelitatem, ad impietatem eum corrigendo. Patendum est, ruinam, quæ exponit Evangelium & Ecclesiam Filii Dei plurimis hostium telis, ortam fuisse ex hac Ethnica fidelium pertinacia omnes humilitatis, æquitatis, christianæ modestiæ leges infringendi, ut inter alios enitescant. Mundus Salvatoris inimicus semperne de hoc victoriam reportabit? Animum ne vestrum obfirmabitis, ut regnet in animabus vestris ad Redemptoris contumeliam? Fidei vestræ sanctitas, baptismatis veliri officia, nobilitas, pretium nominis Christiani, pietas, majorum vestrorum exempla, virtus, quam vos profiteri gloriamini, pudor, decorum, quod tantopere adamare videmini, timor damnationis æternæ, & salutis æternæ desiderium, temporalis etiam utilitatis ratio, & fortunæ vestræ cura; nihil ne vos intra christianæ modestiæ terminos poterit continere? *P. la Pesse.*

Animus non fert hoc loco damnare hæc dignitatum, generumque discrimina, quarum indicia esse possunt vestimenta, & servorum turba; & quæ aliquo modo indigent quodam fastu exterioriori, ut suam teneant dignitatem, & reverentiam suæ debitam conditioni sibi concilient. Mens mea est in vobis ciendi æquissimum horrorem harum noxarum, quæ summopere pietati adversantur; persuadendi vobis inevitabilem moderationis adhibendæ necessitatem. Aliquam inde spero mutationem me visurum, si Domini timor, qui in animabus vestris, ut videtur, extinctus non est, conatur hoc opus in vobis perficere. Esset ne hoc confusionis argumentum homini vitioso, effuso in sumptibus suis, verecundiorem, sapientiorem, magisque Christiano dignam modestiam servare? Mulier, quæ præferret majorem religionem, ac verecundiam, quam superbiam, & vanitatem, nonne pluris apud omnes fieret, majorique in pretio haberetur? Puella nonne sibi meliorem nominis celebritatem compararet ob humilem minusque adfectatam munditiam, quam ob ornatus hos evanidos eo magis contemptibiles, quo magis nitent? Quid? non potest aliquis sartam tectam tueri in mundo æstimationem, quin jacturam faciat modestiæ suæ, & fortasse quin periculo objiciat pudorem suum? cederetne de loco, nisi sese elevaret exteriori apparatu, qui illum non decet? Num minus haberet meritum, nisi recentia id lucem vitia proferret? Si inter præcipuas fœminas conveniret, apparatum suum ad decori leges componere, earum exempla possent saltem prodesse mulieribus mediocris conditionis & ad externum ipsarum habitum juxta præsentis conditionis rationem instituendum. Numquid ad hanc nominis existimationem alendam, opus est, superbus hic indumentorum ornatus. Et imperfectio celare ne potest infirmitatem sub externa specie nitenti, & fastum redolenti? Assero contra, si qua sunt in corpore vitia, hæc tunc celerius oculos nostros incurere Censura quippe, quæ omnia profert in apricum, minutissima quæque perquirit, quæ deinde in mundo evulgare oblectatur. Vera sapientia, saltem in iis, quæ ad publicam civilem que pertinet societatem, simul conjungere debet simplex decorum, quo nemo lædatur, cum virtute recta, non ficta, & ædificante, semperque injustis hisce artificiis debet præferre, quæ ut plurimum ad fastum male decentem nutriendum arcessuntur. *P. la Pesse.*

Inanes mundanorum mulierum præcentus in luxu quem adtestant.

Numquid non contemptui mortalium se objiceret, inquient, si quæ alias non imitaretur? Ita Tertulliano teste in lib. de cultu fem. c. 7. mundanæ mulieres primis Ecclesiæ temporibus luxum suum propugnare satagebant. Ethnicis matronis scandalo esset mutatio nostra, imo illæ nostrum etiam contemnerent Deum, si hanc pompam, quæ cedit in gloriam Domini, cui famulamur, abscinderemus. Sed magnus ille vir addebat, nos ne, in quo sita sit injuria, quæ fit Deo? In hoc ipso, quod metuis, ne minus opulenta videaris, cum tamquam Christiana censeris, & quod te pudet paupertatis Christianismi, ut turpia sæculi mala sequaris. Ecce quomodo dedecore afficiatur, ecce quomodo blasphemetur nomen, & Majestas Domini, & thesauri sanctitatis, ac fidei profecto non cedunt magis in Dei honorem, quam aurum, & phrygionis pictura in vestris indumentis? .... At enim timetis, ne ipsæ vos contemnamini: a quo? Ab illis, quibus timor vester addit audaciam; quibus silentium indicetis, si inter vos conveniret, ut illas non imitaremini. Si timor vester esset legitimus, probanda essent omnia sæculi vitia, quæ ut plurimum sunt effectus ambitionis, & luxus. Opus est ergo, ut vobismet proponatis arctam necessitatem vosmet mancipandi libidini vanitatis, quæ molesta est, & odiosa; nullam habendi rationem publico bono civilis societatis, quæ vos conjungit, officiendi filiis vestris, ad desperationem adigendi creditores vestros, derelinquendi pauperes scandalum afferendi innocentibus, fovendi vitia; quæ omnia luxum consequuntur. Hic hodierna die usus est doctrinæ, & exemplorum Filii Dei. Igitur cum insigni Religionis vestræ contumelia, non sine detrimento animarum fratrum vestrorum, & vestrarum etiam, super alios enitescere vultis? Donec fastum hunc amabilis, qui tot agros, & prædia devorat, pietas procul dubio inter vos regnare non potest. Ille huic inimis est contrarius, & ille nimis improbus est ..... Vosne cumulavit Deus fortunæ bonis? Nequaquam permisit vobis, ut illa in luxu prodigeretis. Pro nihilo habetis, tantam inferre Deo injuriam abutentes beneficiis ejusdem, proximi superbiam irritantes, contemnentes Evangelium, in ludibrium vertentes minas Dei, ejusque judicia? Tandem aliquando cogitate illam rerum omnium expoliationem, in qua vosmet videbitis die mala volentes nolentesque, & quomodo tunc eritis detestaturi hunc fastum & luxum, in quo omnem operam tempusque vestrum collocastis.

Abji-

Abjicite in præsentiarum fallacia hæc præjudicia, quibus spiritus vester alitur, & quæ fortasse aliquando futura sunt causa vestræ desperationis æternæ. Jam tempus est, vel nunquam, prorsus oppositam sequendi viam, nisi omnino Christianismi legibus, fidei, ac ipsi Deo, cujus spiritus ex diametro oppositus est vivendi rationibus adeo nefariis, penitus abrenuntiastis. *P. la Pesse.*

Omni in sensu inexcusabilis est luxus divitum præcipue vero, cum illi ex egenorum spoliis locupletati sunt.

Nulla Christiano viro magis necessaria virtus est, quam humilitas; hæc virtus est; quæ Deo maxime placet, qui cor tantum respicit. Hæc omnium est aptissima ad proximum ædificandum, mundi vero placitis prorsus opposita. Hinc qui se se divino devovent servitio inter Claustra, prodeunt induti non solum pannosis vestibus, verum etiam contemptibilibus; qui peculiarem edunt virtutis professionem, sibi negant ornamenta, & inutiles sæculi apparatus, ut gestent publica suæ abrenuntiationis monumenta, quæ omnibus his vanitatibus se abdicarunt. Qui videt Christianos tali pompa incedentes, & ornatos sexcentis inutilibus ornamentis, quæ venturum ludibrium sunt, credere ne posset unquam, illos esse Jesu Christi discipulos Dei humilitati usque ad mortem Crucis? Et sane quomodo excusari possunt hæ servorum magnificæ turbæ, ubi luxus, & vanitas tanquam in triumphali curru vecti, videntur christianam humilitatem conculcare; hæ superbæ solitudines, quas sibi nobiles ædificant suppellectili pretiosa locupletatæ, quam tinea, & situs absumunt, cum interim pauper omnium egenus pro domo horreum habeat circum undique omnibus aeris contumeliis patens, & pro cubili stratum ex paleis: hæ inquam servorum turbæ, quæ ad ostentationem aluntur, & quorum numerus non aliis rebus inservit, quam obliguriendis opiparis lautarum mensarum reliquiis, melius insumendis in alimoniam tot familiarum, quas panem emendicare vetat pudor, cum interim desolata mater in corona filiorum petentium panem, nesciat, quo confugiat miseris opem latura. Quomodo æquum ferre possumus judicium de his adfectionibus, quod familiarissime principes utuntur viri, aditum fere nemini præbentes, ad commendandam suæ magnitudinis imaginem in mentibus populorum; cum interim tot calamitosi, qui arte ignorant viam sibi faciendi in conferta multitudine, qua stipati sunt, in silentio jugulant & petitionem diurnæ mercedis, & querimonias, quæ nunquam usque ad eorum cor pervenirent tunc etiam, cum illorum aures obtunderent. Quanam prætegi possunt excusatione luxus divitum, qui nullo afficiuntur sensu miseriarum pauperis ab ipsis ad incitas redacti, cum interim aurum, & argentum in eorum pavimentis refulgeat? Quo nomine appellari posset hoc Christianorum genus? Inexcusabile perfecto mendacium esset, eos dicere Salvatoris discipulos, qui sibi Dei sunt, qui nullam in Deo spem habent, neque aliud habent cœlum, quam miserabile hoc exilium, ubi cum brutis vivimus. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum.*

VIGILANTIA CHRISTIANA.

IN OFFICIIS SUIS OBEUNDIS CURA &c.

M O N I T U M.

Difficile admodum est argumentum hoc ad æquam concionis formam; & magnitudinem producere; quippe vigilantia non aliud est, quam circumstantia, & necessaria conditio ad omnia vitæ christianæ munera obeunda. Attamen non secus, ac aliis pluribus in argumentis ex hac circumstantia, vel conditione efficere possumus peculiaris sermonis materiam eam ab aliis sejungendo argumentis, quibus applicari potest, nempe a salutis suæ cura, a tentationibus, occasionibus, & periculis in peccatum decidendi, aliisque id genus; vel de his obiter loquendo, ut intelligatur, quibusnam rebus potissimum invigilandum sit. Ita sermo potest institui de fervore in servitute Dei, de diligenti, ac regulari vitæ ratione, de patientia, aliisque pluribus argumentis, quæ non aliud sunt, quam circumstantiæ aliis sermonibus replendis inservientes.

Fateor equidem, paucissimos concionatores hoc pertractasse argumentum ita ab aliis sejunctum, quamvis vigilantia generatim sumpta ex iis rebus sit, quæ maxime commendantur in Scripturis: verum enim vero apud Fratres, aliosque auctores abunde suppetit, unde hoc repleatur argumentum, præsertim si christiana vigilantia opponatur ignaviæ, ac negligentiæ in exercitatione virtutis, & incuria, qua ut malum evitemus, minime adlaboramus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti systemata.

I. UT Christiano viro persuadeamus in actionibus totaque vitæ suæ ratione vigilantiam, pro concionis argumento, & partitione assumere possumus: 1. Nemini majorem esse posse metuendi, sibique invigilandi causam, quam cum se tutissimum putat. 2. Vicissim neminem magis in tuto esse, quam cum magis timet, ac de se, viribusque suis diffidit.

Pars prima. Ostendendum est, nunquam nos majori in discrimine versari, neque potiori juri de salute nostra trepidandum nobis esse, quam cum in tuto esse arbitramur, minusque timemus. 1. Quia hæc manifesta superbia est, quæ cogit Deum peculiare suum nobis subtrahere subsidium, quo nos tuebatur, atque nosmet nobis, viribusque nostris tradere, ut fatali experientia docti nostram intelligamus infirmitatem; cum enim Dei filius toties nos admonuerit, ut nobismet invigilemus, securitas, qua monitum istud negligimus, vel contemnimus, nefaria præsumptio est, quæ a Deo derelinqui meretur. Ita David funestum lapsum suum acceptum refert nimiæ securitati, qua se objecit periculo, & quæ mox illi tot peperit mala: *Dixi in abundantia mea. Non movebar in æternum. Avertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus.* Psal. 29. S. Petri exemplum de hac melius veritate persuadere nos debet: latet enim ob nimiam in viribus suis confidentiam hæc protulisse verba: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Matth. 26. Confidentia hæc usque ad securitatem processit, quæ effecit, ne vigilaret, quemadmodum illum Dominus admonuerat. Si autem dilectus hic a Deo Discipulus, & electus ut ecclesiæ caput esset, & christianæ religionis columna, propter vigilantiæ, & præcautionis defectum adeo graviter lapsus est; penes vos esto judicium, utrum aliis metuendum sit, qui licet tuto cœlo a virtute illius distent, tamen se in tuto esse putant, ac temeraria præsumptione putant nihil sibi esse timendum? 2. Quia nunquam magis facilius falli possumus ab hoste salutis nostræ, qui vigilat, dum ipsi sopore capti dormitamus, & qui nobis ubique tendit insidias sine peculiari vigilantia nunquam evitandas. Quandonam exercitus imperator callidus, & vigilans hostem suum utilius aggreditur, quam cum illum magis securum, minusque de sua salute sollicitum putat? Hoc pacto Balthasar captus fuit, cum regni sui optimatibus solemni accumbebat, convivio, atque inter epulas, cyathoque oblectabatur, cum potens, ac vigilans hostis vim omnem, artemque adhibebat, ut illum opprimeret, & re ipsa oppressit. 3. Quia securitas ista est negligentia, & ignavia inexcusabilis in eo, qui scire debet se in periculo semper versari hostibus circum undique septum, atque omnes fere creaturas, ut ita dicam, ad interitum illius conspirasse, ita ut secus abyssi oram dormitans temeri-

tati